

Milena MINKOVA

DE RATIONIBUS VARIA COLLOQUIA LATINA IN SCHOLIS ADHIBENDI

In Instituto studiis Latinis provehendis apud Universitatem studiorum Kentukianam¹ iam per multos annos, immo iam paene per duo decennia sessiones additicias celebrare solemus ubi colloquia fiunt quibus facultas Latine volubiliter loquendi foveatur. Sessiones additiciae, scilicet quae scholis solitis adduntur nec sunt obligatoriae, omnibus discipulis necnon interdum Latinitatis studiosis externis occasiones commode congregiendi praebent ad libere Latine legendum, disceptandum, sermocinandum. Quibus in sessionibus saepissime colloquia Latina humanistica tractantur—elata voce leguntur, explanantur, interdum tamquam breves fabellae eduntur, enodantur atque enucleantur, et quod ad compagem grammaticam usumque verborum pertinet, et quod ad cultum civilem atque humanum.

Cur nostra interest colloquia Latina in sessionibus scholasticis adhibere? Suntne revera haec colloquia plerumque saeculis quinto et sexto decimo conscripta magistris et discipulis vicesimo primo saeculo viventibus utilia? Hac in oratione de quinque variis modis loqui est propositum quibus nostra reapse referat colloquia Latina legere, tractare, in scholis proponere.

Colloquia locutiones simplicissimas praebentia provectoribus non sunt inutilia

Fortasse sunt qui putent colloquia simplicia tantum tironibus destinari. At discipuli mei satis provectori identidem asseveraverunt se duplicem utilitatem exinde capere. Nam non tantum talibus in colloquiis compagem grammaticam contemplari prodest ad familiaritatem linguae Latinae obtinendam, sed etiam rationes paedagogicae Latine docentibus vel docturis haud inutiles ibi patent. Quae utilitas paedagogica minime est spernenda. Nam multi ex discipulis nostris iam fuerant magistri antequam ad nos venerunt. Plurimi quoque, cum a nobis abiverint, docebunt. Ergo colloquia simpliciora, ex quibus beneficia didascalica excipiantur, non sunt ex corpore colloquiorum discipulis legendo excludenda.

Auctor colloquiorum simplicissimorum habetur Mathurinus Corderius (1479-1564) Francogallus, qui ad Protestantismum conversus in Helvetia docuit. Eximius exstitit magister, a quo Ioannes Calvinus est institutus. Eius *Colloquia scholastica*² extrema facilitate et repetitionibus nota ad pietatem quoque Christianam promovendam sunt conscripta. In praefatiuncula ad primum librum hoc dicit Corderius: "...incitandi sunt, ut in Schola, dum Praeceptoris ingressum expectant assuescant interea bini ternive, id quod ab eo praescriptum fuerit, simul repetere. Plurimum proderit haec illis jucunda exercitatio:

¹ <https://mcl.as.uky.edu/latin-institute>

² *Maturini Corderii Colloquia scholastica*, commodiori nunc ordine quinque libris composita, opera Ramberti Horaei exornata, editio nova et correctata (Neocomi, apud C.-H. Wolfrath typographum, 1819).

eosque interim ab otio, lascivia, multisque aliis rebus malis, quibus offenditur Deus, avertere poterit.”

Ecce duo exempla. Si praecepta Corderii sunt sequenda, licet discipulis partes inter se distribuere et dialogum elata voce aliquoties legere.

Colloquium V libri I

Argumentum: Admonitio brevis, sed pueris aptissima.

Johannes, Adamus

Non decet hic otiari, aut garrere, dum Praeceptor expectatur. A. Quid ais, non decet? Imo vero non licet: nisi volumus vapulare. J. Tu igitur audi me, dum praelectionem pronuntio; ego deinde te audiam. A. Age, pronuntia.

Colloquium VIII libri II

Argumentum: Quaeritur liber per oblivionem relictus. Arguitur negligentiae, qui reliquerat

Hermes, Justus

Vidistine librum meum? J. Quem librum quaeris? H. Ciceronis epistulas. J. Ubi reliqueras? H. Oblitus eram in auditorio. J. Tua fuit negligentia. H. Fateor: sed interim indica, si quem scias accepisse. J. Cur non adis Praeceptorem? Solet enim (ut scis) quae a nobis relicta sunt aut ferre in museolum, aut alicui dare, qui reddat. H. Bene mones. O me obliviosum, cui istud in mentem non venerat!

Colloquia satis simplicia, licet paulo magis implicata quam scripsit Corderius, sunt a Hermanno Schottenio exarata, qui saeculo decimo sexto Coloniae fuit magister. In praefatione *Confabulationum tironum litterariorum*³ anno 1525 editarum ita dicit Schottenius:

Cum nuper hasce conderem nugas pueriles, Candide lector, in eorum usum qui sub mea agunt ferula, ilico exoriebantur nonnulli (nescio amore an odio ducti) qui dicerent se satis admirari non posse, edendi Colloquia provinciam me velle subire post Erasmus illum Germaniae decus, et literarum verarum vindicem nostra aetate, cuius colloquia omnium iuvenum palatis satisfacerent. Horum stomacho paucis respondere lubet.... Nonne in literario munere multos in eandem arenam descendisse legimus, neque absterritos ob id, quod alii albis (ut aiunt) equis praecesserint? ...Solum enim hec in meorum discipulorum usum composui, et illorum, quorum ingenia humi repunt, ac Latinum sermonem nondum neque a limine salutarunt, neque primoribus labiis attigerunt.

Tali igitur modo colloquiorum suorum simplicitatem in omnium colloquiorum varietate defendit Schottenius. Quod ad argumenta pertinet, eius fortasse paulo minus pia esse videntur quam argumenta Corderii. Inspiciamus dialogum in quo de re athletica agitur:

De ludo pilae

Gysbertus et Petrus

Ut sic desidētis! Surgite pigerrimi. Pet. Quid conabimur? Gysb. Colludemus nonnihil? Pet. Malumus hic in gramine viridi quiescere. Gysb. Endymionum est, non adolescentium, ita gramine incumbere. Pet. Attamen dulce est. Gysb. Iucundius mihi est ludere, quam torpere. Pet. Age, ludendo concertemus. Gysb. Pilamne iaciendo invicem? Pet. Cui est pila? Nobis deest. Gysb. En, hic duas habeo. Pet. Molliorem et leviolem accipiemus. Gysb. Belle dicis, nam ista minus afferet doloris. Pet. Sed sortiemur periculi et ludi comites. Gysb. Ludemus, ut pila scrobibus impellatur. Pet. Tum

³ *Colloquia sive confabulationes tyronum literatorum* Hermanno Schottenio Hesso autore (Lugduni: apud Antonium Gryphium, 1566).

sors mittatur, quis incipiat. Gysb. Scrobs prius ascribatur cuilibet. Pet. Quisque accipiat quam velit, suprema erit mea. Gysb. Advolve pilam, in cuius scrobem ceciderit, eam in alios proiciet. Per. Papae, meam incidit, fugite hinc. Gysb. Ho, ho, neminem tetigisti, notula tibi appingatur creta. Pet. In calceum fige mihi cretae lineam. Gysb. Demum adice foveis pilam. Pet. Nunc tuae intrudam foveae. Gysb. Si feceris, te primum proiciam. Pet. Viden'?' age quae lubet. Gysb. Fuge, aut te iactu petam. Pet. Si audes, iacias. Gysb. Audeo maiora, en, tactus es. Pet. Et te rursus ad suras laesi. Gysb. Vix credo, nam sensi penitus nihil.

Tales Schottenii dialogi etiam occasionem suppeditant se movendi, imaginandi gestus actusque colloquentium eorundemque gestus atque actus corporaliter reddendi. Mentem fingendum et deinde gestibus agendum est quid fiat in ludo pilae Petri atque Gysberti. Dialogi agi possunt a discipulis pilam iacentibus, saltantibus, currentibus et ita porro. Vis quaedam vitalis verbis infunditur ita ut participes dum dialogum agunt eum reapse vivant.

Similia colloquia inveniuntur etiam in *Paedologiis* Petri Mosellani (vulgo Peter Schade) anno 1518 divulgatis, cuius vestigia Schottenius aliquatenus sequitur. Quae omnia cum tironibus tum provectoribus esse possunt subsidio.

Variis rebus varia imponenda nomina, ut de omnibus circa nos sitis loqui queamus— sunt colloquia quae talibus nominibus abundant

Cicero ipse affirmavit “imponenda nova novis rebus nomina.”⁴ Quam affirmationem generatim et universe extendere licet ut dicamus omnibus rebus nomina esse imponenda. Si res exstat, quidni Latine nominetur? Ergo si loquimur, maxima vocabulorum varietas nobis est necessaria, ut variae res circa nos et in orbe terrarum sitae proprie nuncupentur. Sunt colloquia quae verae vocabulorum aurifodinae videantur. Huiusmodi sunt colloquia ab Ioanne Ludovico Vives (1493-1540) conscripta. Vives ille humanista eximius ante omnia in rationes docendi atque praecipendi incubuit, in institutionis scholasticae methodos quae etiam tum in scholis vigeant vehementer est invectus, animum humanum investigavit, de mulieribus instituendis disseruit. Fama eius colloquiorum c.t. *Linguae Latinae exercitatio*⁵ cum colloquiorum Erasmicorum gloria comparatur. *Linguae Latinae exercitatio* vocabulis abundat de rebus quae circa nos sunt; quae vocabula alioquin facile inveniri non possunt. Inspiciamus colloquium facetum in quo sunt plurimae occasiones partes corporis nominandi apte *Corpus hominis exterius* intitulatum.

Durerius (pictor)
Grynaeus
Velius

Durerius Facessite hinc! Nam vos nihil emetis sat scio, et estis mihi impedimento quominus accedant emptores propius.

Grynaeus Immo vero nos volumus emere, modo vel pretium relinquantis nostro arbitratui et tempus ipse praescribas, aut contra nos tempus, tu pretium.

Dur. Bella negotiatio, mihi nihil est opus tricis eiusmodi.

Gryn. Cuius est haec imago et quanti indicas?

⁴ *De finibus*, III, 1.

⁵ *Luis Vives, Los diálogos (Linguae Latinae exercitatio)*, praefationem scripsit, textum edidit et commentariis instruxit Maria del Pilar García Ruiz (Pompeipoli: Ediciones Universidad de Navarra, 2005).

Dur. Imago est Scipionis Africani et indico sestertiis nummis quadringentis aut non multo minoris. Gryn. Quaeso te, priusquam verbo uno eam addicas nobis, examinemus artem picturae; et hic Velius est sesquiphysicus, peritissimus humani corporis.

Dur. Iam dudum intellego me a vobis intricari; sed interea, dum mercatores nulli adsunt, nugamini quantum libuerit!

Gryn. Nugas tu vocas peritiam artis tuae? Quid faceres alienae?

Velius Primum omnium verticem contextisti capillis multis et planis, cum vertex dicatur quasi vortex a vertendis capillis, ut in fluviis videmus, cum aqua se convolvit.

Dur. Inepte, non consideras eum esse male pexum, more illorum temporum?

Vel. Brechma habet inaequaliter deflexum.

Dur. Acceperat vulnus miles ad Trebiam, cum servavit patrem.

Gryn. Ubi tu id legisti?

Dur. In decadibus Titi Livii amissis.

Vel. Tempora sunt nimis tumentia.

Dur. Cava essent signum dementiae.

Vel. Occipitium vellem videre.

Dur. Verte tabulam! ...

Hoc quidem tantum est initium; reliqua colloquii pars vocabulis ad quaslibet corporis humani minutias pertinentibus scatet. Alia autem colloqua ad alios vitae cottidianae campos respiciunt: ad surrectionem matutinam, ad lectionem, ad refectionem scholasticam, ad itinera, ad vestitum, ad culinam, ad convivia et ita porro. Quae omnia cottidie Latine loquentibus necessaria sunt atque perutilia.

Lingua Latina, et colloquia Latina, ad totum orbem terrarum pertinent

Ob fata sua lingua Latina finibus Europaeis nullo modo circumscribitur, immo cum per totum orbem terrarum peragravisset, ad ultimas Asiae oras, ad extremam Patagoniam pervenisset, universalis est iudicanda. Hoc etiam de colloquiis Latinis valet. Anno 1554 Franciscus Cervántes de Salazar professor laicus in Universitate studiorum Mexicana publici iuris fecit *Ad exercitia linguae Latinae dialogos*⁶. His tribus dialogis prolixioribus haec sunt argumenta: de Academia Mexicana, de civitate Mexico interiore, de Mexico exteriori. Ob multas minutias rerum circa nos extantium memoratas ipse auctor Vives Mexicanus habetur. Inspiciamus partem secundi dialogi, ubi forum urbis Mexici describitur necnon quaedam comparationes cum foris Romanis fiunt.

Dialogus secundus Civitas Mexicus Interior, p. 94

Zuazus, Zamora, incolae; Alfarus advena

...

Zuazus Jam adest forum; attentus quaeso intueri num aliud amplitudine et majestate par huic aliquando videris.

Alfarus Equidem quod meminerim, nullum: nec censeo in utroque orbe aequale inveniri posse. Bone Deus! quam et planum et capax est! quam hilare! quam undique ambientibus superbis et magnificis aedificiis illustratum! quae descriptio! quae facies! qui positus et situs! Revera, si porticus illae, quae nunc contra nos sunt, e medio tollerentur, integrum exercitum capere potuisset.

Zuazus Tanti fori amplitudo in causa est, quominus in aliis res venales afferantur. Nam quod Romae Suarium, Olitorium, Boarium, Livium, Julium, Aurelium et Cupedinis erant, hoc unum pro cunctis Mexici est. In hoc uno institutae sunt nundinae; in hoc fiunt auctiones; in hoc quaecumque sunt

⁶ *México en 1554*, tres dialogi Latini a Francisco Cervántes Salazar conscripti et ab Ioachimo García Icazbalceta editi (Mexici: Antiqua Libreria de Andrade y Morales, 1875).

venalia, reperies; et ad hoc totius provinciae mercatores suas merces adferunt et important; in hocque, ut in summa dicam, quaecumque sunt in Hispania potiora, confluunt.

Zamora Haec est regalis aula facies et tertium ejus membrum.

Alfarus Etiam si non praedixisses, id satis superque testantur superiora illa deambulacra, tam multis et magnis columnis speciosa, regiam quandam majestatem prae se ferentia.

Zuazus Teretes sunt columnae, nam quadrangulas, et in his striatas et medianas, non perinde commendat Vitruvius.

Alfarus Quam convenit in ipsis cum longitudine crassitudo!

Zuazus Epistylia vide quam sint arte fabricata.

Alfarus Spirae nihilo inferiores sunt; et qui reddunt solarium aeternum, quique ipsum vere regale faciunt, sunt arcus ex eodem marmore artificiose facti, trabium loco columnis impositi, tectum ne unquam ruat sustentantes: marmorei sunt etiam cancelli, ne quis cadat in praeceps. ...

Ipse Salazarius lectores monet eos per dialogos legendos in novo orbe versari: “nec censeo in utroque urbe aequale <forum> inveniri posse,” sc. in vetere et in novo. Colloquia Latina iam non sunt tantum Europaea, sed ad totum mundum pertinent. Civitas Mexicana non minus cum foris Romanis, cum scriptoribus Romanis (Vitruvius hic memoratur) coniungitur quam civitates in Europa Septentrionali ubi colloquia scholastica florebant. Ergo cuivis rei publicae litterarum civi in porticibus Mexici pulcherrimis per litteras ambulare licet. Amplius disquirendi campus exstabit in pluribus colloquiis ex variis orbis terrarum archivis eruendis atque edendis.

Ratio Ciceroniana loquelaе extemporalis obviam it, idque non sine grano salis

Nosoponus, quem ob nimium Ciceronis imitandi studium ludibrio habet Erasmus in dialogo c.n. *Ciceronianus*, dicit sermones vernaculos garrindo destinari et se tantum pauca Latine dicere nec sine praemeditatione; postea multa lectione diluere quod contractum sit labis.⁷ Loquela tamen extemporalis Latinitati emendatae et elegantiori non repugnat.⁸ Iacobus Pontanus (vulgo Jacob Spanmüller) Societatis Iesu (1542-1626), qui in Bohemia natus Augustae Vindelicorum docuit scriptor exstitit Ciceronianus. Eius *Progymnasmata Latinitatis*⁹ dialogi sunt elegantes, doctrina repleti eodemque tempore lepidi atque faceti. Exinde semper novam locutionem discere legentibus licet. In his dialogis ratio Ciceroniana obviam it loquelaе extemporalis. Propositum auctori etiam est ut mores probati doceantur. In dialogorum proemio “Ad humaniorum artium cultorem praefatio” intitulo Pontanus momentum sermonis extemporalis colendi adumbrat: “Nulla autem pars litterarum in tanta ignoratione contemptioneque iacet, in quanta sermo: cuius, si varietatem ac multitudinem rerum animo circumspicias, vix centesimam partem tenemus: et id ipsum quod tenemus, nondum satis perfecte, imo vero satis imperfecte cognoscimus. Proinde nostra latinitate nihil hodie squalidius, inquinatius, atque monstrosius.” Sermo tamen extemporalis Pontani

⁷ *Opera omnia Desiderii Erasmi Roterodami*, ordinis primi tomus secundus, *Dialogus Ciceronianus*, ed. Pierre Mesnard (Amstelodami: North-Holland Publishing Company, 1961), 581-710, p. 615. Apud Mesnard “labiis” legitur, sed lectio q.e. “labis”, ita ut macula diluenda intellegatur, magis arridet.

⁸ Inspiciatur liber Terentii Tunberg *De rationibus quibus homines docti artem Latine colloquendi et ex tempore dicendi saeculis XVI et XVII coluerint* (Lovanii: Leuven University Press, 2012).

⁹ *Jacobi Pontani de Societate Iesu Progymnasmatum Latinitatis sive dialogorum volumen primum*, editio quinta (Ingolstadii: ex officina typographica Davidis Sartorii, 1591).

sententia minime est neglegendus, immo occasiones discendi validas suppeditat. Ad dialogos enim tribus artibus symbolas conferri explanat Pontanus, i.e. dialectica, rhetorica, poetica: propter argumentandi et disserendi rationem dialectica; propter elocutionis ornatum et dicendi genus rhetorica; propter decorum personarum et imitationem naturarum poetica. Infra exemplum est brevioris colloqui et doctrina et iucunditate referti: Fabiolus, qui in schola dormitat nec paratus est coram magistro, quem cum cane atroci comparat, recitare, a sodale suo Erasto reprehenditur.

Progymnasma quinquagesimum
Somnus in gymnasio
Fabiolus, Erastus

Fabiolus Rabiosulum te autumo. E. Quam ob caussam? F. Quod me modo vellicas, modo pugnum in latus meum incutis. E. In laneum latusculum tuum. Cur dormitas? non decet hoc in schola. F. Mihi sic usus est: tu ut tibi opus est facto, ita facito. Tua quid refert? E. Mea quidem aliquantum, tua vero permultum. Nam si te dormire sivero, doctor me quoque ut infidelem custodem supplicio prosecuturus est. F. Itane est? E. Itane est? Etiam, dormitator, ita est. F. Permite ut dormiam. Quomodo nunc est, aliter fieri non potest. E. Istam a magistro veniam pete. F. Irrides? Quasi ut dicas: pete ab atroci cane ut te mordeat: sua sponte mordebit. E. Ego profecto non feram, non patiar, non sinam ut dormias: usque atque usque molestus ero: etiam acicula, en, te compungam, ut clames, teque ipsum ut sorex tuo indicio prodas. F. Heu, mitte me: vicissim indulgebo, si te somniculus corripuerit. E. Hanc abs te gratiam nolo. F. Tamen. E. Iam reddenda erit e memoria hesterna praelectio: excute somnum, frica paulum oculos et relege quae edidicisti. Nisi faxis, a tergo, supra caput, ante oculos vindicta est. F. Quid relege? nihil edidici. E. Tum tu ipsa es miseria. F. Non exiget a me quidquam hac luce: non enim omnes, id quod scis, quotidie recitare possumus, prae multitudine. E. Ponamus exigere: quid dices? F. Doce tu me quid dicendum. E. Pulchre dictum. Egone te doceam te mendacem fieri? nihil attraxit funis tuus. F. Actum est, verberabor, recitare non potero. Quid ergo proderit mihi si vigilem? uno dolore duo peccata expiabo: dormiam rursus. E. Dormi dormi, nihil moror. Si magister me obiurgaverit, narrabo quid fecerim, quid dixerim tibi, quid tu contra responderis. F. Tantum ne me expergefacias. Si etiam hodie vapulavero, non moriar. E. Quae tibi verberatio fauste, ac feliciter eveniat, mi Fabiole.

Dum iucunda sermocinatione et gestibus Fabioli et Erasti legentes fruuntur, multae locutiones sensim sine sensu eorum memoriae traduntur: una cum Catullo¹⁰, Erastus pugnum incutit in Fabioli laneum latusculum, una cum Cicerone¹¹ proclamat fore ut non ferat, non patiat, non sinat; adde quod etiam locutiones hic docentur de fune qui nihil attraxit et de sorice indicio suo semetipsum prodenti. Omnes iuncturae sunt nitidae atque elegantes, quales apud probatissimos auctores invenias. Ex tali lectura incrementum scientiae efficitur quo expeditius auctorum opera legantur.

Vitae communis temporumque vates

Tandem quaedam colloquia Latina ea quae nobis sunt summi momenti respiciunt, ut Erasmi Roterodami *Colloquia*¹² quae vera sunt opera litteraria vel potius gemmae litterarum. Erasmus ille, quippe qui libere, tamquam homo sui iuris de omnibus rebus

¹⁰ Catullus, 25, 10.

¹¹ Cicero, *In Catilinam*, I, 5.

¹² *Opera omnia Desiderii Erasmi Roterodami*, ordinis primi tomus tertius: *Colloquia*, ediderunt Leo Ernestus Halkin, Franciscus Bierlaire et Renatus Hoven (Amstelodami: North-Holland Publishing Company, 1972).

cogitaret, numquam cuiusdam gregis praecepta sequebatur, sed animi sui et proprii notiones. Quo evenit ut nonnulli inimici ex variis partibus ei exorirentur, sed quoque ut ultra loci temporisque sui limites prospiceret. Quod vel in colloquiis est perspicuum atque materiam uberrimam ad disceptandum legentibus semper praestat. Sequitur excerptum ex colloquio c.t. *Naufragium* ubi argumenta tractantur ad omnis loci vel temporis hominum pertinentia. Adolphus enim Antonio narrat quomodo homines calamitate imminente se gerant, ad quae remedia confugiant, quid iubente necessitate, “telo duro,” fieri soleat.

Naufragium

Antonius, Adolphus

ADOLPHUS ... Sub meridiem coepit magis ac magis incrudescere tempestas. Vidistine vmquam Alpes? ANTONIUS Vidi. ADOLPHUS Illi montes verrucae sunt, si conferantur ad vndas maris. Quoties tollebamur in altum, licuisset lunam digito contingere; quoties demittebamur, videbamur dehiscente terra recta ire in Tartara. ANTONIUS O insanos, qui se credunt mari. ADOLPHUS Nautis frustra luctantibus cum tempestate, tandem nauclerus totus pallens nos adiit. ANTONIUS Is pallor praesagit aliquod magnum malum. ADOLPHUS Amici, inquit, desii esse dominus nauis meae. Vicere venti, reliquum est, vt spem nostram collocemus in Deo, et quisque se paret ad extrema. ANTONIUS O vere Scythicam concionem. ADOLPHUS In primis autem, inquit, exoneranda est nauis. Sic iubet necessitas, durum telum: praestat consulere vitae dispendio rerum, quam simul cum rebus interire. Persuasit veritas: Proiecta sunt in mare plurima vasa, plena preciosis mercibus. ANTONIUS Hoc erat vere iacturam facere. ADOLPHUS Aderat Italus quidam, qui legatum egerat apud regem Scotiae. Huic erat scrinium plenum vasis argenteis, anulis, panno ac vestimentis sericis. ANTONIUS Is nolebat decidere cum mari? ADOLPHUS Per nos, inquit, liceret tibi cum tuis perire solum, sed aequum non est, vt nos omnes tui scrinii causa periclitemur. Alioquin te una cum scrinio dabimus in mare praecipitem. ANTONIUS Orationem vere nauticam. ADOLPHUS Sic Italus quoque iacturam fecit, multa mala precans et superis et inferis, quod suam vitam elemento tam barbaro credidisset. ANTONIUS Agnosco vocem Italicam. ADOLPHUS Paulo post venti nihilo mitiores facti nostris muneribus rupere funes, disiecere vela. ANTONIUS O calamitatem. ADOLPHUS Ibi rursus nos adit nauta. ANTONIUS Concionaturus. ADOLPHUS Salutat: Amici, inquit, tempus hortatur ut vnusquisque se Deo commendet ac morti se praeparet. Rogatus a quibusdam nauticae rei non imperitis, ad quot horas se crederet posse tueri nauem, negauit se posse polliceri quicquam, sed vltra tres horas non posse. ANTONIUS Haec concio durior etiam erat priore. ADOLPHUS Haec ubi loquutus est, iubet incidi funes omnes ac malum vsque ad thecam cui inseritur, incidi serra ac simul cum antennis deuolui in mare. ANTONIUS Cur hoc? ADOLPHUS Quoniam sublato aut lacero velo erat oneri, non vsui. Tota spes erat in clauo. ANTONIUS Quid interea vectores? ADOLPHUS Ibi vidisses miseram rerum faciem. Nautae canentes: *Salve regina*, implorabant matrem Virginem, appellantes eam stellam maris, reginam coeli, dominam mundi, portum salutis, aliisque multis titulis illi blandientes, quos numquam illi tribuunt sacrae literae. ANTONIUS Quid illi cum mari, quae nunquam, opinor, nauigauit? ADOLPHUS Olim Venus agebat curam nautarum, quia nata credebatur ex mari. Ea quoniam desiit curare, suffecta est huic matri non virgini Virgo mater. ANTONIUS Ludis. ADOLPHUS Nonnulli procumbentes in tabulas adorabant mare, quicquid erat olei effundentes in vndas, non aliter illi blandientes, quam solemus irato principi. ANTONIUS Quid aiebant? ADOLPHUS O clementissimum mare, o generosissimum mare, o ditissimum mare, o formosissimum mare, mitesce, serva. Huiusmodi multa occinebant surdo mari. ANTONIUS Ridicula superstitio...

Videmus quam difficile sit hominibus vel in mortis periculo *iacturam* possessionum suarum facere quod vocabulum duplici sensu praeditum ironia amara Erasmus usurpat. Ironice quoque delineatur studium cuiusvis rei quovis modo adorandae quod apud homines calamitate imminente cito crescit. Talibus rebus colloquia Erasmica abundant. Dum autem Erasmi colloquium *Proci et puellae* legebamus, permultum de amore, de nexibus amatoriis, de matrimonio, de partibus maribus feminisque agendis inter participes est dictum. In scholis igitur fit ut his de rebus multa colloquia nectantur, inter Erasmus et discipulos necnon inter ipsos discipulos. Semper miror quomodo possit Erasmus animos discipulorum

recta via alloqui, quam multarum disceptationum sit fons paene infinitus, quantum referat hodie eius opera, inter quae certe eius colloquia, saepe et studiose evolvere.

Quinque igitur rationes enumeravi propter quas hodierni temporis magistrorum interesset colloquia Latina humanistica discipulis in scholis proponere omniumque in Latinitatem incumbentium ea avidè legere: quorundam colloquiorum compago simplicissima notiones quas de lingua Latina habemus confirmat magnoque auxilio sunt docentibus; ex nonnullis colloquiis vocabulorum thesaurum haurire licet quo freti de rebus circa nos exstantibus sermocinari valeamus; colloquia, ut est litterarum Latinarum recentiorum indoles, non sunt tantum Europaea, sed ad quemlibet orbis terrarum angulum pertinere possunt quo Latinitas pervenerit; multa colloquia elegantissime sunt contexta necnon iuncturis locutionibusque abundant quae nobis non solum ad emendate loquendum, sed etiam ad quoslibet libros Latinos legendos sint auxilio; sunt colloquia quorum argumenta cum eis quae lectori hodierno sunt curae facile coniungantur efficiantque ut de rebus summi momenti cogitemus atque disseramus. Proinde colloquiorum subsidio utamur sedulo atque cum gaudio!

Mmink2@uky.edu